



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

188. Sabb. de fine, quo accedendum ad Missam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Sabb. Dom. infr. Oct. Corp. Christi. 338
sum: si indignè, magis reus: itaque conscientie puritati me totum addicam.

MEDITATIO CLXXXVIII.

Sabb. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.

*De fine, quo accedendum ad
Missam.*

Audiam Seraphicum Doctorem instruendum, quibus affectibus ad Missam accedendum sit: ut enim aqua talis apparet, quales sunt flores prati, per quod labitur, sic Christus juxta cuiusque dispositionem esse communicat, Petam eos intelligere, & exercere.

Conf. 1. Non accedendum desiderio avaritiæ, aut vanæ gloriæ, aut humanæ complacentiæ, temporalisque favoris causâ, vel consuetudine, sicut multi his diebus abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem; sed trahat te conscientia & remorsus delictorum ad veniam culpæ & poenæ, infirmitas tua, ad medicinam: tribulatio ad protectionem & gratiam spiritualem, peccatum, cui Pater nihil negare potest, obtinendam: trahat te cultus Dei, religio, & amor Dei: ac unio, gratiarum actio pro innumerabilibus beneficijs, laus Dei, & Sanctorum, quibus nihil præstantius offerri potest: compassio proximorum, nihil enim pro vivis & defunctis.

332 Sabb. Dom infr. Oct. Corp. Christi.
defunctis interpellat efficacius, quam Sanguis Christi effusus in remissionem peccatorum: trahat te denique sitis augenda gratiæ, quia hoc Sacramentum fontem continet omnis sanctificationis, cetera sunt tantum rivi gratiarum. Hæc omnia suo etiam modo locum habent in ijs, qui Sacrificio assistunt, & censentur unà cum Sacerdote illud Deo offerre, unde Sacerdos se ad illos convertens dicit: Orate fratres, ut meum & vestrum Sacrificium acceptum fiat apud DEVM.

Conf. 2. Verba illa: Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo, accipiam, non ut Cain Abelem ad occidendum, fratres Josephum ad vendendum, uxor Samsonem ad prodendum, Herodias caput Joannis ad illudendum, Judæi Christum ad crucifigendum, sed ut Isaac cibum à Jacob, Abraham Angelos, filia Pharaonis puerum Mosen, Mater Tobiam: Magi, Martha, Centurio, Magdalena Christum, Apostoli eundem in cœna Domini. Mater Dei Filium, Pater eundem in cœlos intrantem.

Conf. 3. Accipiam ut infirmus Medicum, mortuus vitam, debilis fulcrum, solus Comitem, viæ ignarus Ducem, debitor Satisfactorem, inferno dignus Salvatorem, frigidus carbonem ab Altari, aridus fontem aquæ

Dominica 3. post Pentecosten. 333

aquæ vivæ, afflictus consolatorem, vallatus ab hostibus defensorem, Accipiam sub poena mortis, *Nisi manducaveritis, &c.* sub spe promissi, *Non veni propter justos.* Ab Altari munus SS, Trinitati offerendum Deum Deo per Deum, quia est, qui est, ad dandum gustum Deo: pro beneficijs acceptis & accipiendis, pro venia culpæ, poenæ pro culpis debita, pro donis, quibus egemus, pro necessitatibus in quibus sumus & erimus, pro amicis, & inimicis, vivis, & defunctis, &c.

MEDITATIO CLXXXIX.

Dominica 3. post Pentecosten.

De appetitione DEI ultimi finis.

Videbo pulchrum opus universi exornatum à Deo, ut ornatur imago à pictore, infra me malam, supra me bonam æternitatem, juxta merita quoque, vel demerita ad alterutram festinantes. Petam non aberrare à fine meo, ut contigit ovi perditæ.

Conf. 1. Mundum à Deo creatum non utilitati, nullius indigi, sed manifestandæ bonitati Dei, non ipsi Deo, quàm antè ab æterno novit, sed creaturis non irrationalibus, cognitionis incapacibus, intellectualibus igitur, qualis est homo. Quare si omnis res visibilis corporali vitæ hominis servit, corpus autem ordinatum est ad animum nobi-